

De morbis infantum in genere : dissertatio inauguralis medica ... / auctor Hermannus Quincke.

Contributors

Quincke, Hermann, 1808-
Friedrich-Wilhelms-Universität Berlin.
Royal College of Surgeons of England

Publication/Creation

Berolini : Typ. Augusti Petschii, 1829.

Persistent URL

<https://wellcomecollection.org/works/a8erwzrh>

Provider

Royal College of Surgeons

License and attribution

This material has been provided by This material has been provided by The Royal College of Surgeons of England. The original may be consulted at The Royal College of Surgeons of England. where the originals may be consulted. This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
<https://wellcomecollection.org>





12
DE

**DE MORBIS INFANTUM
IN GENERE.**

**D I S S E R T A T I O
INAUGURALIS MEDICA
QUAM
SENSU ET AUCTORITATE
RATIOSI MEDICORUM ORDINIS**

IN
UNIVERSITATE LITERARIA FRIDERICA GUILIELMA,
UT SUMMI
IN MEDICINA ET CHIRURGIA HONORES
RITE SIBI CONCEDANTUR,
DIE XXXI. M. AUGUSTI A. MDCCCXXIX.

H. L. Q. S.


PUBLICAE DEFENDET

AUCTOR
HERMANNUS QUINCKE,
RHENANUS.

OPPONENTIBUS:

F. HAVER, MED. ET CHIR. DD.
J. WEGELER, MED. ET CHIR. DD.
C. WEBER, JUR. CAND.

BEROLINI
TYPIS AUGUSTI PETSCHIL.



LITERATURA.

Praeter scripta generalia de morbis infantium edita a viris Cel. *Rosenstein, Henke, Fleisch, Gölis* etc. hisce libris usus sum:

Bemerkungen über menschliche Entwicklung. v. *P. F. Hopfengärtner*. Stuttg. 1792.

C. W. Hufeland, Bemerk. üb. d. Blattern. Weim. 1793.

B. Ch. Faust, Perioden des Lebens. Berlin 1794.

J. Malfatti, Pathogenie aus Evolution und Revolution des Lebens. Wien 1809.

Formey, üb. Kinderkrankheit. in *Hecker's Annal.* Bd. II. Heft 5. Leipz. 1810.

H. X. Boer, Versuch einer Darstellung des kindlichen Organismus. Wien 1813.

A. Henke, üb. Entwicklung und Entwicklungskrankh. Nürnberg 1814.

St. A. Mückisch, Beiträge zur Kenntniss des kindlichen Organismus. Wien 1825.

H. C. G. Jörg, Handbuch d. Kinderkrankh. Leipz. 1826.

§. 1.

In tractandis infantium morbis, quos mihi disputandos proposui, primum statuatur oportet, quae huc pertineant, quousque notio aetatis infantilis extendi possit. Non omnes enim distinguunt inter infantes et pueros, sed utrosque confundunt, et infantiam puertati etiam affinem esse aut post primam dentitionem finire censent. Equidem cum Cel. Hartmann¹⁾ illius terminum annum septimum seu dentitionem secundam constituo, nec tamen ejus stadia omitto, scilicet *primum* inde a partu usque ad dentitionem primam, *secundum* a priori ad posteriorem dentium mutationem progrediens. Mihi autem has sensu strictiore infantiae periodos spectandam institui.

§. 2.

Nam infantem tum virium energia et auctoritate, cum organorum structura et functione praevallente, tum succorum inquilinorum mixtione partiumque constituentium conjunctione ab adulti natura maxime differre videmus. Inter vires assimilatio et reproductio omnes alias longe superant, quippe quae nunquam postea tot tantaque in tam brevi temporis spatio perficere et producere valeant. Nec tamen ea, quae alias vires notat, debilitas quaedam deest, ita ut copia quodammodo pro posterioris aetatis energia substituta esse videtur. Sensibilitas atque praecipue irritabilitas multo minus adhuc valent, at tamen mirabiliter augentur et accuuntur tum exteriorum irritamentorum vi, cum organorum iis insertivum majore perfectione culturaque. Prae ceteris facultas organorum sensus in primis vitae annis exercendo quidem egregie, sed tardius et mi-

¹⁾ Allgem. Pathologie. Wien. 1823. p. 459.

nus fibrae muscularis energia augetur. Assimilationis organorum vis etiam multum increscit, ventriculus et intestinorum tubus, qui primum mitiora tantum alimenta ferunt, sensim sensimque victui firmiori et severiori assuescunt, quem vasa absorbentia haud amplius repugnant, sed bene coctum sanguini advehunt, cujus integritas atque, ut ita dicam, irritabilitas respiratione altiore ac fortiore augetur. Attamen minor systematis lymphatici et capillaris energia e maiore albuminis cōpia, qua infantes gaudent, intelligitur, quum hoc nondum satis ad materiae fibrinae dignitatem perducī possit. Quam ob rem etiam organon, quod totum est albuminosum, nempe cerebrum magnitudinis respectu fere omnia superat. Nec minus energia deficiens in violenta ac celeri, sed turbida atque minus intensa reactione organismi infantilis contra stimulos externos apparet¹⁾.

§. 3.

Nec minoris momenti pro infantium natura peculiari et seminiis morborum mihi evolutiones organismi periodicae, quae occurrunt earumque incauta aut imprudens cura esse videtur. Primum partus magnum effectum in tenerum et novi vitae medii insuetum foetum habeat necesse est, deinde autem dentitio atque inde elucens naturae praeceptum solidioris victus, cum congestionibus, nervorumque sensibilitate aucta haud parvam mutationem producit. Qua de re autem postea, hic pauca tantum de partu. Non ad embryonis formationem respiciens, tantum de foetus maturi et neonati differentia sermonem faciam²⁾. Qui antea a matre materiem nutriendi et crescendi; a placenta chylum et oxygenium; calorem aequalem a balneo tepido, cui innatavit, accepit. Nunquam adhuc, aut si liquoris amnii deglutationi adsentire volumus³⁾ raro tubus intestinorum cibos digessit, hepar sanguini reservando aequae, quam

¹⁾ cf. *Hufeland*, l. c. p. 292. *Hartmann*, l. c. p. 460.

²⁾ cf. *Henke*, l. c. p. 20. *Hufeland*, l. c. p. 404. J.

³⁾ cf. *Malfatti*, l. c. p. 10. *Jörg*, l. c. p. 87. sq. *Fr. Blumenbach*, institut. physiol. Gött. 1821. p. 484.

bili sercernendae inservit; renes cutisque parce se-
cernunt, hac fere sola resorbet; pulmones firmiores
et densiores nunquam aëris tactui expositi sunt; cordis
licet jam omnino formati cava singulariter inter se
conjunguntur, quapropter circulatio peculiares leges
sequitur. Fere nulla est irritabilitas et energia mus-
culorum, quorum fulcra, ossa, plurima adhuc car-
tilaginum speciem prae se ferunt. Sensibilitas dor-
mit, nec voluntatis nec organorum sensus actioni-
bus excitari potest. Incitamentis externis impervia
in secretionibus paucis regendis tantum praesentiam
et energiam ostendit. Subito haec omnia mutantur.
Foetus maturus validissimis uteri contractionibus
haud sine laesione mechanica ejectus novae rationi
dynamicae datur. Functio nova, cujus organon te-
nerrimum jam diu formatum est, respiratio prima
neonatum irritat et concutit, qua et circulationi aliae
leges et aliud iter praescribuntur. Nutritionis mu-
nus suscipiunt intestina; secretiones augentur et ex-
cretiones paullatim oriuntur; organa sensus peculia-
ribus stimulis oculus lumini, aures sono exponuntur.
In systema nervosum illa et sexcenta alia irritamenta
coenaestheseos et mentis agunt. Paullo post etiam
major musculorum motus accedit et sic culturae
futurae neonatus traditur. Quot et quanta morbo-
rum causae nonne ex hac subita mutatione oriun-
tur! Quot incauta et imprudenti matrum aut me-
dicorum ipsorum cura adjiciuntur.

§. 4.

Nunc de infantium ratione vivendi per totam
hanc periodum pauca verba faciam. In universum
organismus infantilis multum ab adultorum ratione
discrepat, praecipue quod attinet ad systema prae-
valens ejusque functiones. Etenim in his aequè to-
tum systema reproductivum et omnia organa huc
pertinentia praestant, ac in juvenibus organa irrita-
bilia, prae ceteris respiratoria. Illud vero systema
in hac aetate multo magis et celerius agit, quam
postea, quapropter infans etiam crebrius majorem
alimentorum copiam sumit atque saepius ea, quae in
solido viro formando excernenda occurrunt, amo-

eat opus est. Jam singula systemata contempla-
tor, a praecipuis incipiens, ab organis assimilationis
reproductionis. Ventriculum intestinorumque tu-
um, novae functioni suscipiendae destinatos in neo-
nato jam satis bene formatos, attamen paullum de-
biles earumque fibras musculares, quibus postea va-
lidissimis gaudent, minus perfectas valdeque irrita-
biles reperimus. Jam sani multum secernunt et
aegrotantes magnam mucī copiam facile producunt,
namque superficiem tali viscida densaque illuvie in-
iungunt. Cui peculiari naturae quoque alimenta, a na-
tura iis jussa respondent. Primum scilicet, quod ac-
cipiunt, lac maternum ob materiae nutrientis abun-
dantiam atque animalem naturam omnino eorum
digerendi et totius organismi usui aptissimum est.
Magna cum celeritate illo coagulato atque bile ad-
ducta inutilibus praecipitatis, vasa lactea ingentem
albuminis copiam in chylo sorbere queunt. Haec
materies optime organis perficiendis et formandis,
quae infantis munus constituunt, inservit multaque
copiose occurrit. Quum materies advecta rapide con-
sumatur, saepissime etiam restituatur, oportet, unde
sequeatior infantum fames elucet. Paullatim ita
eorum energia mutatur, ut quoque alimenta soli-
diora magisque irritantia ferre queant, quibus sub
mem infantiae fere solis vescuntur, attamen mitiora
superioribus praeferentes. Quod vero haud eorum
debilitati res ingestas digerendi attribui debet, sed
instui ab illarum natura acri offenso atque intesti-
norum ipsorum irritabilitati, quae nondum stimulis
obtusata, illa repudiant. Una cum hac solidorum
consuetudine ciborum appetitus haud minor, sed ra-
rior fit, quum ingesta tardius consumantur organo-
rumque incrementum et perfectio moretur.

§. 5.

Chylus, tali modo paratus, a ducto thoracico
linguini immiscetur, quocum cordi et pulmonibus
advehitur, organis hoc etiam tempore maxime et
saepe violenter subitoque mutandis. Licet cor sit
oblanchnon perfectioni jam inde a partu propinquum,
attamen statim mutationem insignem subeat opus est.

Quaedam ejus ostia oblitterantur aut cava amplificantur, ut circulationi novum iter, conditioni organismi praesenti aptum, apertum fiat. Quo autem periculo feliciter superato, postea fere nullas mutationes subit, quam incitabilitatem imminutam energiamque auctam, unde contractiones paullatim rariores, sed fortiores pendent. Multo majores ac insigniores mutationes aliorum pectoris viscerum videntur. Organa respirationis propria, trachea pulmonesque egregie et celeriter perficiuntur; praecipue pulmones sat velociter incitamento primae respirationis, qua expansi spongiosam singularem structuram ostendunt. Contractilitas quoque valde hoc stimulo excitata expirationes altiores et fortiores infantium adjuvat. Frequentia respirationis a sanguinis celeriore circulatione pendet, quae illum saepius purgandum et renovandum pulmonibus advehit. Trachea tardius sensim sensimque perficitur; fistula primum angusta extenditur; membrana ejus mucosa copiose secernit atque aëris continuo contactu facile irritatur, unde tussiendi proclivitas infantium. Glandularum bronchialium color mutatur, secretio augetur magisque tingitur a carbonici secernendi copia. Nec leviter aestimari debet thymus, paullatim tota resorbenda, et glandula thyreoidea imminuenda, etsi functionem earum omnino nesciamus, itaque hic non magni aestimare possumus. Etenim iis amovendis magnum sese extendendi spatium respirationis organis praebet atque receptaculum sanguinis superflui aufertur, cujus copia igitur nimia haec saepe gaudent. In universum organa respiratoria eo magis sanguinis advecti copia et irritabilitate excellere solent, quo proprios infantes fini hujus periodi atque sic tempori accedunt, quo irritabilitas generaliter et praecipue respiratio praestantissimae sunt, scilicet aetati juvenili. Una cum organorum cultura et haematosi perficitur, differentia sanguinis arteriosi venosique velociore sanguinis oxydatione ¹⁾ clarius et egregie apparet. Sanguis materiem plasticam abundanter adfert, licet ipsi propter celeritatem energiamque re-

¹⁾ Jörg l. c. p. 152.

productionis desit. Calor animalis maximus adultos pluribus gradibus superat, sed facile a temperie externa demitur, quapropter saepe infantes frigent. Illius caloris copia tum a crebrioribus respirationibus, tum a celerrima solidi vivi reproductione pendere videtur, quum illae utraeque a physiologis ejus fontes designentur.

Quae cum ita sint, totius organismi aequae copia ac virium energia velociter increscit aegritudinesque etiam in pseudo-productiones vergunt optimeque remediis sanantur, quae hanc nimiam vim plasticam coercent, v. c. Mercurio dulci ¹⁾. Inde etiam elucet, cur systema glandularum tam magni momenti sit organismo infantili atque toties malis afficiatur, nam praecipue assimilationi inservit aut materiem plasticam advehendo, quales sunt glandulae mesentericae, aut excernenda amovendo, quales aliae glandulae lymphaticae existunt.

§. 6.

Organa quoque colatoria, illis systematibus adjecta multo ab adultorum conditione recedunt atque multas variasque mutationes in hac periodo subeant, oportet. Primum nobis obvenit hepar, quod in foetu ingentis molis et receptaculum omnis illi advecti sanguinis est. In neonato pro ratione alii incrementi imminuitur, sed non functio mutatur, quam eandem in foetu et adulto esse credo, scilicet secretionem hydrogenii et carbonici e sanguine, qua foetus multo magis, adultis eget, quum pulmonibus huic munere etiam fungentibus careat. Meconii quoque copia et qualitas huic sententiae adnuere videtur. Cel. *Malfatti* ²⁾ jecur haematosi servire, Cel. *Hartmann* organon assimilans esse censet: quae vero sententiae, quamquam acutae, haud satis experientia fulsae esse videntur. Meae opinioni quoque color minus obscurus et minor materiae amarae copia in bile infantium, licet abunde secreta adsentire videtur, uti illae virtutes auctae in prove-

¹⁾ *Formey*, l. c. p. 424 et 430.

²⁾ l. c. p. 8.

tiore aetate, quum infantes in alimentis multo parcius hydrogenium et carbonicum accipiant, adultis. —

Cutis non solum iis egerendis inservit, quae in solido vivo reproducendo et formando amoveantur et excernantur, oportet, sed etiam rebus externis cum organismo conjungendis iisque suscipiendis, luminis, oxygenio aquosoque latici resorbendis. Eximiae resorbendi vis argumentum etiam insignis balneorum utilitas in omnibus infantium morbis praebet. Etsi autem haec ita se habeant, attamen secretio liquorum aquosorum et gasiformium (sudor et perspiratio insensilis) haut desunt aut negliguntur, nam in organismo, qui tanta celeritate talem copiam alimentorum suscipit et assimilatur, etiam excernenda multa occurrant, necesse est. Major etiam muci excretio in cute huic aetati propria observatur, quem unguibus in superficie externa conglobare possumus. Circa finem hujus aetatis sane peculiaris secretio cutis principatum tenere coepit, quamquam semper proclivis est ad externas res suscipiendas nec epidermis adeo indurescit, ut, qualis postea, quodammodo organismum a rebus externis separet. Aliud colatorium reproductionis organicae, systema uropoëticum in foetu jam satis perfectum reperimus. Renes sat magni, sed e pluribus renculis compositi, etiam calyces et ureteres satis perfecti, renes succenturiati maximi sunt, sola vesica urinaria tam situ et forma, quam magnitudinis respectu quodammodo discrepat. Secretionem urinae etiam in minimis infantibus copiosissimam esse experientia docet, nam saepissime fasciae ea contaminantur, nec iis adsentire queo, qui contrarium contendunt, aut sudorum copiam negant¹⁾. Sed theoriae quoque hae secretionum omnino necessariae videntur, nam in reproductione excernenda, et in infantibus tam celeriter reproducendis magna eorum copia obveniat, opus est. Sane illarum excretionum pondus haut omnino ingestorum vi respondet nec adeo materia animali abundat, quam in adultis; quod vero haut organorum debilitati, sed alimentorum qualitati tribuendum est,

¹⁾ Boer, l. c. p. 31 et 41.

cum haec amovenda parcius contineant. Quod etiam incrementum excretorum, ab aetate provecta pendens probat, quoniam una cum hac talium alimentorum copia increscit, quae multa inutilia aut noxia continent.

§. 7.

Singulis assimilationis et reproductionis organis cum adminiculis perpensis, nunc in ceteris enumerandis primum systema irritabile, musculi vasaque sanguifera obveniunt. Illi in prima hujus aetatis periodo adhuc mollissimi, debiles, gelatinae similes sunt, tendines peculiari nitore argenteo atque elatere carent, tardeque tantummodo ita perficiuntur, ut motus sibi jussos satis bene exsequi possint. Cui debilitati magna irritabilitas conjungitur, quapropter jam minimis stimulis ad violentos nisus cientur, atque facillime convulsionibus corripuntur. Parum et vix parum voluntati obediunt; magno tantum temporis spatio interjecto infantes motum suum dirigere valent. Adeo musculi motui involuntario servientes, prae ceteris cor, majore et priore perfectione gaudent, quam organa locomotionis. Majoris momenti etiam huic motui sunt fulcra, ossa, quae tarde tantummodo solida facta, quasi finem et scopum formationis organicae constituunt. Accuratiorem descriptionem omitto, quum in quolibet libro de infantibus inveniatur. Nec minus varium nec levius musculis, est systema vasorum sanguiferorum, quae materiem plasticam in corpore infantili tam uberem vehunt, infinitaque et innumerabiliter distributa adsunt, ramulisque tenuissimis omnia organa multa copiosiora, quam in adultis permeant. Inde quoque color floridior majorque infantum turgor. Simul contenta multo celerius pervehuntur, pulsus fere ibis illos adutorum superant, nam materies celerius adferenda est, quum frequentius et uberius solidum vivum formetur et mutetur. Facillime etiam stimulos externos sentientia actiones jam per se validas nimium et immodice augent, sed aequae celeriter valideque collabuntur.

§. 8.

Minime praetermittenda, quamquam multo adhuc obscuriores sunt functiones cerebri systematisque nervosi et eorum mutationes. Illud jam in neonato eximia magnitudine et perfectione gaudet; postea copiosissimis rerum externarum irritationibus expositum cum celeritate miranda aliorum organorum vitiis et affectionibus immune perficitur. Etsi enim illa qualibuscunque malis, quae totum organismum evertere et dissolvere imminet, data sint, attamen cerebrum non solum sine mora, sed celerius adeo perficitur, nec aliter quam hac nimia mole vitam periclitatur. Jam inde a partu systema nervosum variis commotionibus et irritationibus exponitur, organis sensuum, jam quidem formatis, sed adhuc sopientibus, excitandis et perficiendis. Summo vitae stimulo, lumini posthac omnino incremento necessario, quo plane neonatus adhuc expers fuit, nunc subito exponitur. Olfactus validissime in cerebrum agens organorumque auditus commotio cum coenestheseos effectu conjunguntur ad promovendam evolutionem celerem. Attamen in rapidis et mirandis systematis nervosi actionibus infanti propria celeris et violenta, sed energiae non particeps reactio contra vim externam observatur, quapropter ejus affectiones morbosae saepe occurrunt.

§. 9.

Intimo vinclo cum omnium illorum organorum evolutione cohaeret dentitio quae raro tantum sine sympathia illorum procedit. Haud respiciens ad litem, an sit dentitio aegritudo, necne jam diu ita judicatam, ipsam non esse morbosam, sed morbis facillime ansam praebere, tamen singulorum organorum evolutionem ab ea profectam aut cum ea apparentem paullo accuratius dispiciam. Primum obvenit intestinorum tubi aucta energia ad concoquendos cibos compactiores et solidos, praeterea secretio aucta tum in ore glandulisque salivalibus, cum in tota intestinorum superficie, qua saepissime dentitionem concomitantem diarrhoeam proficisci vix dubito. Quapropter haec, quasi morbus activus, natu-

rae conamen organismi laesiones amovendi, cautissima manu curetur necesse est, quum ea congestiones nimiae versus caput tendentes simul deriventur. Nec minus e consolidatione et perfectione ossium, quae tum quidem maxime in lucem prodit, energia et efficacia reproductionis in hac periodo elucet. Praeterea gravissima est congestio succorum ad caput nitens et inde profecta evolutio rapida organorum ibi sitorum, praecipue cerebri. Tum haec res, tum labor, qui systemati nervoso, omnium illorum assimilationis et secretionis processuum summo domino et gubernatori, impositus est, causae affectionum nervosarum toties in dentitione occurrentium, arguantur, oportet.

§. 10.

Quae brevis organismi infantilis ejusque functionum adumbratio physiologica sufficiet ostendere, quomodo in hac re tractanda agam. Hic de potentiis externis et de morborum causis ab ignorantia aut nimia erroneaque cura profectis dici non posse, jam per se intelligitur. Morbi quoque adutorum tantummodo ratione habita peculiaris infantum naturae, qua mutantur, hoc loco disputabuntur. De seminibus hereditariis vitiisque organicis tantum, si saepius et uti disponentia morborum semina occurrunt, verba faciam.

§. 11.

Inter singula organa et systemata ea quoque, quae principatum in sano corpore obtinent, prae aliis a vitiis corripiri et infestari posse, vix aliquis dubitet. Itaque in organismo, ubi assimilatio et reproductio praevalet, prae omnibus etiam organa illis servientia in discrimen et periculum vocentur, proximumque iis sit systema nervosum, quod illas functiones istaque organa regit, necesse est. Re vera etiam partes ad reproductionem pertinentes saepissime aegras reperimus. Jam in neonato tubus alimentarius cum adminiculis in discrimen vocatur et sub finem hujus periodi, quoque vitiis, vel maxime vegetationi morbosae pronus est. Praeterea pariter

systema lymphaticum et glandulosum cum contentis eorumque colatoriis in morbos vergunt, nempe cum systemate uropoëtico et cute, quae propter receptivitatem externorum atque muci secretionem uberem variis contagiis suscipiendis ac efflorescentiis gignendis aptissima est. Rarissime aegrescit totum systema vasorum sanguiferorum, jam maxime irritabile, sed viscera respiratoria multis malis afficiuntur, tum quod egregie perficiantur et amplificentur, cum quod semper irritanti aëris contactui exponantur. De affectionibus systematis nervosi in universum jam supra monui ac solum animadverto, maxime periodos evolutionis affectionibus ejus favere.

§. 12.

Si genium morborum infantilium dynamicum generatim contemplamur, rarissime, ut jam *Illustr. Formey* ¹⁾ praeclare monuit, debilitas existit, plerumque activitas adaucta aut functiones depravatae arguendae sunt. Illos in errore versari, qui organismum infantum debilem censent, ex insigni ejus energia et celeritate in augendis perficiendisque systematibus et organis elucet. Sane ejus virium functionumque harmonia facilius externis stimulis injuriisque laeditur, quam adultorum, quo etiam illi debilitatem ei vindicare adducti sunt. Quorum vero acutissima organorum sensibilitas, nondum irritamentorum consuetudine obtusa, argui debet, aequae ac omnino necessaria aequitas et harmonia systematum organismi, qui tanta energia et velocitate organorum incrementum et perfectionem promovet. E contrario omnia infantum mala speciem nimiae aut, depravatae sensibilitatis et vegetationis prae se ferunt. Quod autem attinet ad materiae vitia circa morbos infantum, longinqua et insignia rarissime, ut distinctius dicam, nunquam paene obveniunt. Talia diuturniore virium discrepantia et interiore crasis corruptione opus habent, ut organismus infantilis, quum quoad mixtionem nondum perfectus omnino materiae augendae et evolvendae

¹⁾ l. c. p. 421.

imbuat, talem alterationem omnes functiones aut laedentem, aut omnino impedientem ferre et integritatem suam simul defendere possit. Inde quoque intelligi potest, quare in infantibus raro tales exquisiti morbi acuti et chronici, quales in adultis obveniant.

Acutorum paene nulli, qui parem decursum, ac in adultis obtinent, existunt, quam exanthemata febrilia, omnes alii proprium genium constituunt. E chronicorum serie tabescentiae solae saepius adsunt; alii seminia magis, quam mere exquisiti morbi sunt. Ut hanc meam opinionem clarius exponere possim, causas et naturam morborum paullo accuratius perlustrem, oportet. Primum huc referri debent, omnes morbi activi (qui a nisu naturae pravam aliquam conditionem virium aut saepius compagis partium mixtionisque corrigendi proficiscantur) aequae e corruptione succorum, praecipue sanguinis (dyscrasia sic dicta venosa) et virium laesione ac ex vitiis ipsius reproductionis orti. Quod primum causas illius anomaliae attinet, tales esse solent, quales intimo vinclo cum vitae genere hominum cohaerent, nec prius, quam diuturno temporis spatio praeterlapso, illam intimam mixtionis corruptionem producere possunt. Idcirco illi effectus organismum infantilem, istud vitae genus omnino repudiantem, aut non tangunt, aut funditus pervertunt. Sin autem re vera talis dyscrasia in infantibus oriri posset, tamen vis vitalis, ut jam supra monui, alias occupata nec tali negotio par prius exhauriretur, quam morbus initium cepisset. Accedit, quod celerior humorum circulatio et consumptio apud infantes stagnationes, tali vitio faventes impediunt. Huc spectant omnes morbi atrabilarii, tam acuti, quam chronici, inde ortae neuroses et arthritis. Pariter res se habet in ceteris febribus malignioribus plurimisque inflammationibus, quum infans vel causis earum occasionalibus impervius sit, vel in morbo formando succumbat. Hisce vero morbis apud infantes exortis, eos quoque a natura peculiari notam singularem accipere probant exitus inflammationum forte occurrentium,

quae ut plurimum in pseudo-productiones organo aegrotanti respondentes, rarissime in gangraenam transgrediuntur. Nec crebriores sunt verae neuroses chronicae, quum vegetatio validissima tali substantiae ipsius nervosae depravationi, quali ad eas gignendas opus est, caveat, animique pathemata et aliae res noxiae, quae in adultos pessime agunt, infantibus aliena sint. Magni momenti tam hoc respectu, quam ob alios inde ortos morbos est sensus varietatis sexuum in infantibus omnino sopiens. Praeterea rarissimi sunt morbi ab intima mixtionis organicae corruptione producti, v. c. scorbutus, hydrops, syphilis etc., qui praeter naturam infantibus inserti aut mox eos perdunt, aut in aeternum sanitatem corrumpunt. Rheumaticae affectiones quoque desunt, quum perspiratione cutanea suppressa multo facilius membranae mucosae, glandulis scaetentes affici possint, quam organa fibrosa, procul adhuc a perfectione distantia.

§. 13.

Nunc jam singulis morborum speciebus animus adverto, quantum a peculiari infantum natura, supra exposita pendeant. Temporis et spatii angustiis pressus praecipuas tantum adferre queo, infantibus proprias, diagnosin, prognosin etc. omit- tens. Hunc fere ordinem sequar: Morbi neonatorum tum ab effectu mechanico et dinamico partus primique vitae temporis profecti, cum congeniti, qui nostra intersunt; morbi digestionis et reproductionis; efflorescentiae cutaneae; mala respirationis, affectiones cerebri systematisque nervosi ac vitia organorum sensus.

§. 14.

Malorum a partu originem ducentium primum praeter laesiones mechanicas, pro nostra re leviores asphyxia neonatorum obversatur. Oritur aut situ infausto funiculi umbilicalis, diutius compressi aut in universum a partu difficili, diuturno, quo foetus per validissimas uteri contractiones aut opem artificialem imprimis in capite nimium premitur, itaque
aut

aut suspensa sanguinis circulatione et oxydatione aut compressione cerebri. Alia adhuc morbi species existit, quae ab exhaustis infantium viribus per nimios nisus in partu originem trahit, non enim illum omnino inertem inter hoc opus censere possumus. — Illa nimia capitis compressio facile quoque dislocatione ossium seminum morborum vitiorumque organicorum sistere potest; atque in univ-ersum nimio partus nisu facile herniis umbilicalibus aliisque ejusmodi morbis ansa praebetur. Viti-orum primae formationis hic tantum cyanosis adferri debet, quae a perfectione retardata et de-fensione perversa primae circulationis exorta interdum observatur.

§. 15.

Crebrius, quam illa haec occurrunt mala neonatorum, ophthalmia, icterus, erysipelas et aphthae. — Haud omnino negari posse videtur, oculos neonatorum, ea sensus organa, quae medii sui effectui primum diutissime et validissime exponuntur, in morbos vergere. Peculiarem quoque blennorrhoeae formam, quam prae omnibus haec ophthalmia occupat e proclivitate organismi in nimiam muci secretionem explicari credo. Quapropter inflammatio illam oculi membranam occupat, quae tenerrimo atque morbis prono organo, cuti, simillima est, conjunctivam, in qua tantam muci copiam gignit. Quae vero omnia non ad morbum producendum suppetere videntur, nam alias saepius atque in hominibus quoque melioris conditionis occurrere deberet, ubi nunquam paene cernitur. Magis itaque leucorrhoea matris, qua neonatus infectus est, accusanda esse videtur. Cataractam centralem, quae saepius post hanc ophthalmiam observatur, cujusque genesin haud sufficienter exponere possumus, congenitam esse haud omnino rejiciam. Nam hoc malum rarissime postea a talibus blennorrhoeis, quae magis superficiem oculi tenent, produci videmus, nec unquam illud centrale in posteriore vita nobis occurrit. Quum autem lentis nucleus

semper peripheria densior sit ac, ni fallor, inde ab hac versus illum in foetu pellucida fiat lens, opinionem probabilem puto, ex formatione cohibita illud vitium originem trahere. Cui etiam adsentire videtur, saepissime hac cataracta unum tantum oculum affici.

Erysipelas et icterus neonatorum haud omnino pares, attamen simillimi sunt morbi ac argumentum sistunt insignis sympathiae cutis organorumque biliariorum in neonato. In illo affectio cutis, in hoc hepatis praevalet. An hic, ut Cel. Jörg ¹⁾ contendit, proficiscatur a suppressa oxygenisatione per cutem atque inde necessaria secretionem uberiore hydrogenii et carbonici in hepate, simulac illa refrigerio aut alia affectione laedatur, adhuc sub iudice esse videtur, quamquam acuta est sententia. Saepius etiam spasmi organorum biliariorum a sympathia cum cute aut tubo alimentario, crudis pleni orti ejusmodi affectionum causae sunt.

In aphthis producendis causae externae, mala nutritio artificialis, lac nimis caseosum, immundities et perspiratio cutanea suppressa, cum dispositione intestinorum in pseudo-productiones sese conjungunt. Cur morbus hoc tempore sit efflorescentia superficiei intestinorum, nec uti postea haec in mucum producendum vergant, haud satis patet.

§. 16.

In universum tubus alimentarius infantum crebris affectionibus morborum vexatur. Digestio laesa et debilis, pyrosis, mucositas viscida, postea helminthiasis saepius eum infestant. Facile magna e productivitate atque fere continua functione actioneque ejus explicatur, cui secretionum copia gravitasque, magna irritabilitas ac stimulorum insolentia et insignis cum aliis organis praesertim cute sympathia accedit, nam illius secretionem suppressa, saepe membrana mucosa intestinorum substituitur. —

Inflammationes organorum gastricorum rarissimae sunt, quamvis interdum praecipue inter abla-

¹⁾ l. c. p. 506.

etationem et dentitionem infantium obveniant. Speciem autem singularem prae se ferunt, efficientes plerumque morbos nuperrime accuratius observatos, gastromalaciam et enteromalaciam, secundum descriptionem gangraenae partium similes. Valde singularis earum natura apparet, quum omnia aliter occurrentia gangraenae signa fere desiderentur, cum livor, tum putredo, mumificatio aut dissolutio cohaesionis organicae, ac tantum mollities adsit, ita ut facile sub tactu tunicae rumpanitur. Caussae mihi pariter dentitio et inde profectus erethismus tubi alimentarii, quam alimentorum solidorum detrimentum esse videtur.

Haec actio aucta sane inflammationi favere potest, quae infanti proprium genium occupans, mirabilem morbi naturam sistit. Nonne haec forsitan inde explicari possit, quod vasa organi, adhuc teneri, violentia inflammationis paralytica, materiam plasticam sibi traditam haud ad solidum effingere valeant, sed eam jam fere dissolutam in locis affectis effundant, unde mollities peculiaris oritur? Cel. *Sundelin* in libro ¹⁾ nuper edito acutissimam de hac re sententiam profert. Morbum ab anomala actione systematis nervosi, quod dominum organicae reproductionis putat, productum esse, atque inflammationem partium adjacentium tantum sequelam vitii cohaesionis esse censet. —

Adminicula tubi intestinorum raro paullo post partum morbis idiopathicis corripuntur; saepius ob sympathiam patiuntur, v. c. hepar in rhachitide.

§. 17.

Nunc illi organismi infantilis regioni oculos adverto, qua saepissime morbi et dispositionis morbosae observantur, scilicet reproductioni. Scrophulosis, rhachitis, tabes, hydrops ei imminet. De primo utroque morbo, variae existunt sententiae.

¹⁾ *Berends*, Vorlesungen, herausg. v. *Sundelin*. 2. Suppl. Bd. Berlin 1829.

Cel. *Malfatti* existimat animales processus in scrophulosi vegetabilibus praestare, i. e. corpus ab anima, assimilationem ab egestionem vinci, et sic vice versa in rhachitide. Licet haec opinio acuta sit, tamen nil explicare, aequae ac sententia, scrofulas meseraicas ab aliis longe distare et quasi medium inter scrophulosin et rhachitidem obtinere, nimium arbitraria esse videtur. Magis placet, quae Cel. *Sundelin* ¹⁾ exponit, in scrophulosi systema lymphaticum et glandulosum relative praevalere, idcirco quoque ejus contenti, albuminis, nimiam copiam adesse. Omnibus notum est, illud systema imprimis et a principio a tali morbo correptum esse; albuminis autem nimiam copiam adesse ob proclivitatem in pseudoproduktiones et inflammationes chronicas, cum scrophulosi junctas, propter caseosum albumini simillimum pus ulcerum scrophulosorum, propter nimiam secretionem mucii hoc morbo ubicunque provocatam, materiae etiam albumini affinis negari nequit. Facile quoque intellectu est, hoc systema princeps ejusque contentum aequae, ac alia in posterioris vitae periodis (v. c. venae et hydro-carbonicum) in infantibus morbose praevalere posse; itaque frequentia scrophulosis. Crebro igitur affectiones organorum glandulis et albumine scatentium occurrunt, quales sunt mucii excretio frequentissima nimiaque, blennorrhoea intestinorum, rarius genitalium in puellis, sputorum frequentia in affectionibus catarrhosis organorum respirationis. Natura hac excretionem glandularum nimium albumen, amovet et quodammodo eam pro posterioris aetatis profluviis, praesertim cruentis substituit. — Saepe sequitur atrophia meseraica, quae multa primarum viarum pituita, induratis infarctisque glandulis mesentericis (scrophula meseraica) nutritionem omnino inhibet, infantemque miserrime consumit. — Tabescentiae similis, quamquam valde singularis existit rhachitis, de qua etiam variae proferuntur opiniones. Hoc quidem mihi apertum

¹⁾ Path. u. Therapie der materiellen Krankheiten. Berlin 1827. Th. II. p. 43.

videtur, adesse anomalam reproductionis, quapropter unum tantum vicissitudinis materiae solidae munus perficitur, nempe quae adsunt, quidem resorbentur, sed nova pro eis nec advehuntur nec effinguntur. Quamvis non negem, illorum partem a venis amoveri, atque inde hepatis magnitudinem oriri ¹⁾, attamen major copia systemati lymphatico tradi videtur, quod nutritio omnino impedita, complicatio frequentissima cum scrophulis, integritasque organorum, quae pauca vasa lymphatica habent; e. g. cerebri affirmant. Ossium resorbtio magis ab intima vegetationis corruptione proficisci, quam ipsa morbus princeps esse videtur, quamquam graves aegritudines, curvaturae, mala articularum, columnae vertebralis et inde orientes paralyses sequuntur.

Hydropum, quorum jam supra mentionem injeci, una saltem species interdum obvenit, anasarca inflammatoria post scarlatinam, aut morbillos. Quae etiam a nimia vegetatione et actione peripherica exorta, infantis naturae omnino respondet; itaque haud hydragogis, sed vegetationem impredientibus medicamentis ei medemur.

§. 18.

Haud minus frequentia atque naturae infantium respondentia apparent exanthemata. Quum pleraque, omnia acuta, a contagiis et miasmatibus originem ducant, quae suscipiendi facultas una infectione tolli solet, luce clarius est, cutem sensibilem infantum, quae tanta energia resorbet et assimilatur, contagio suscipiendo maxime opportunam esse. Cui accedit, ut plurima horum contagiorum organa respirationis, valde sensibilia, afficiunt, itaque sibi facilius aditum acquirant. Proprius adhuc causae proclivitatis infantum in haec exanthemata accedimus, si Cel. *Sundelin* ²⁾ adsentimus, qui ea a praecedente alteratione tam crasis, quam vegetatio-

¹⁾ *Sundelin*, l. c. p. 65.

²⁾ l. c. p. 155.

nis per miasmata, quasi fermenta producta esse existimat.

Nam omnium illorum exanthematum eruptioni affectiones systematis nervosi magis minusve frequentes praecedunt, multaque signa, qualia sunt variae conaestheseos laesiones, nausea, horror, vomitus, dysphoria, cephalalgia etc. praegredi solent. Tum substantia ipsa nervea magna ex parte albuminosa est, quae prae omnibus aliis substantiis mixtionis mutationes subit et fertilissimum solum miasmatis offert. Deinde quoque symptomata gravissima ab interrupto aut suppresso exanthematum decursu oriuntur, qualia sunt convulsiones, deliria, sopor, inflammationes neuro-paralyticae, quae hanc opinionem confirmant. Haec autem alteratio sanatur critica reactione naturae, qua illa substantia, inter metamorphosin secreta ac propria quodammodo vita praedita, arteriis aut venis traditur et ab illis ad peripheriam corporis vel superficiem internam intestinorum delata, ibi suam vitam quasi exanthema transigit. Quum autem albumen frequentissimum sit infantibus, tales morbi etiam saepissime observantur. Sin autem eorum quoque sententiae adsentimus, qui causam proximam exanthematum inflammationem cutis vario gradu effusam putant, aut qui eorum germina congenita censent, tamen eorum frequentia ex nimia cutis vegetatione facile explicari potest. Quae quum ita sint, dispositio infantum in exanthemata acuta, licet causa proxima saltem incerta sit, uti experientia docetur, ita quoque theoria demonstrari potest.

Exanthemata chronica in infantibus occurrentia, crusta lactea, herpes, tinea, plerumque scrophulosam originem ducunt, una psora excepta, quae non morbus infantilis est, sed tantum contagio facile inseritur. Illa vero aliqua ex parte pro secretionibus substituta esse videntur, quum praesertim in individuis satis validis, humidis phlegmaticis observentur, nec ipsa secretionem careant puriformi, itaque albumen superfluum amovente. Cui opinioni etiam non alienum esse videtur, illa saepissime in capite, quo congestionem imprimis tendunt, obser-

vari optimeque remediis sanari, quae in tubum alimentarium et systema lymphaticum agunt, itaque humores evacuant eorumque nimiam aut depravatam assimilationem inhihent, atque stagnationes resolvant. De frequentia ejusmodi pseudo-productionum in cute non mirari possumus, quum haec ob magnam activitatem atque uberem muci secretionem in conditione sana huic morbo maxime commoda sit. Accedit, quod ea, quae in solido vivo formando excernenda sunt, per cutem magna ex parte amoveantur, itaque si systematis illi formando servientis morbus existat, facile materies noxiae ad cutem deferri possint, ubi propriam vitam degunt. Quod etiam conjunctio illorum exanthematum cum scrophulosi, affectione, qua reproductio corrumpitur, vel maxime confirmat.

Etiam alterum reproductionis colatorium, systema uropoëticum, quamquam rarius morbo afficitur et quidem gravissimo, lithiasi, qua infantes inter primam dentitionem et pubertatem afficiuntur. Nam ob intimam alterationem totius reproductionis, praesertim a scrophulosi maligna aut saepius a rhachitide productam parcius et pejus ingesta assimilantur, atque solidum vivum formatur, quod adeo resorbetur; quapropter excernenda aut resorbta illa ad hoc colatorium tanta copia et tali qualitate deferuntur, ut non omnia amoveri possint, itaque in ipsius cavo remanentia concrementa constituent.

§. 19.

Omnia mala jam supra tractata paene frequentia superantur ab affectionibus organorum respirationis morbis catarrhosis, angina membranacea, tussi convulsiva et asthmate Millari, quae mire quam naturam infantium, productivitatem et sensibilitatem occupant. Tussin catarrhalem in dies quidem observare solemus in infantibus, cui incitabilitas organi, sympathiaque membranae mucosae cum cute innumerabiles occasiones praebent. Nihilominus plerumque leviozem decursum tenet, rariusque naturam inflammatoriam ostendit, quā membrana

bronchiarum corripitur. Quibus proxima, a similibus caussis producta, forsân interdum ex illis orta videtur angina membranacea. Nusquam productivitas nimirum rapida celerior et perniciosior apparet, quam in hac viarum aëriferarum inflammatione, etsi aequae haec decursus velocitas ex irritabilitate nimia copiaque vasorum in his organis ac perniciositas ex angustia fistulae illius et majore respirationis necessitate infantium sat bene explicatur. Etiam pulmonum inflammatio interdum in infantibus occurrit, licet decursu ab adultis quodammodo recedat, itaque facile non satis cognita habeatur. Bronchitis exanthemata acuta concomitari solet, morbillos, rubeolas et rarius scarlatinam.

Haud rarior, sed minus aperta, quoad naturam tussis convulsiva apparet. Quae maximam exanthematum similitudinem sistit, quum toties epidemice observetur, verosimillime contagium producat, porro quum semper determinata, quamquam haud pariter a se distantia stadia habeat, quae omnia medicamina nec finire, nec iis cavere possunt. Accedit utilitas remediorum, quae cutem irritant atque in ea exanthema producunt, e. g. ung. tart. stibiati, medicaminumque, quae nervos concutiant, et alio quoque tempore eorum affectiones cohibent aut mitigant. v. c. emeticum. Natura spasmodica extra quodque dubium posita et periodicae exactiones affectionem nervosam et quidem sedes morbi ipsius, vomituritio aut vomitus semper eum concomitans affectionem nervi vagi designant. —

Quorum omnium maxime incognitum atque rarissimum est asthma Millari, quod existere adeo a multis negatur. Idcirco de hoc nil dicere queo, quam forsân periodicam ejus naturam atque periculum, quod infert, a rapide accumulata atque pari velocitate exhausta incitabilitate pulmonum, qua spasmus eorum tonicus producitur, explicari posse.

§. 20.

Cerebri nervorumque affectiones nec levissimae nec rarissimae sunt, sed febris hydrocephali-

ca, hydrops ventriculorum cerebri chronicus, convulsiones, eclampsia saepius, quam optamus occurrunt.

Hydrocephalus acutus, inflammatio, quae exsudatione sequente interficit multum varieque a natura et evolutione infantium pendet. Cerebrum post partum omnia fere organa magnitudine superat, atque sat celeriter increscit, quoniam totum ex albumine in hoc organismo praevalente formatur. Caput multis injuriis mechanicis in partu exponitur, quas reactio et congestio sequatur, oportet.

Cerebrum haud vasorum lymphaticorum copia praeditum a morbis reproductionis, paene unicus universalibus infantium raro corripitur, adeo incremento celeri prae aliis organis excellit. Tum perfectione organorum sensus culturaque animi innumerabiliter excitatur, a congestionibus quacunque occasione, praesertim inter dentitionem validissimis exortis petitur, ab omni dolori in violentas et anomalas reactiones cietur. Quid aliud sequi potest, nisi morbus frequens, qui naturam totius organismi et praecipue organi affecti, nimiam vegetationem perfectionemque induit. Quis alius exitus sequi potest, nisi exsudatio in organo, quod concrementis plasticis et pseudo-productionibus nulum locum praebet.

Hydrops ventriculorum cerebri chronicus saepius morbus congenitus, itaque a vitiis primae formationis cerebri ipsius aut a vitiis durae matris exortus esse videtur. Sed crebro postea quoque seu acuti hydrocephali exitus seu ab imminuta resorptione lymphatica aut venosa productus apparet. Qua ex causa ab horum systematum affectionibus in scrophulosis et rhachitide originem ducit, quae hac sola ratione cerebro, ab iis alias intacto, nocere queunt.

Hydrocephalus externus a refrigeratione, nimio solis aestu et exanthematibus suppressis produci posse, omnino non mirandum est, quum congestiones toties caput petant, ut facile exsudatio oriatur.

Quod tandem affectiones proprie sic dictas ner-

vosas attinet, rarissime, fere nunquam dicerem, idiopathicae, sed frequentes sympathicae occurrunt. Convulsiones a multis stimulis provocantur, qui in adultorum nervos vix quadam ratione agunt. Ejusmodi sunt spasmi, qui, praesertim apud infantes minimos ante dentitionem, ab organorum digestionis laesionibus proficiscuntur. Nimirum nocet lac nutricis, si haec animi pathematibus correpta commotaque est, unde violentissimae convulsiones. Parem effectum habent, pyrosis aut cruditates intestinorum. Posthac quoque infans, quamvis obtusus nec illorum effectui adeo apertus, tamen saepe convulsionibus concutitur, propter organismi erethismum inter dentitionem aut post hanc ob varias irritationes. In adultioribus infantibus talis affectus etiam a vermibus manat. Quae omnia e nimium acuta sensibilitate et nisu, systemati nervoso ob evolutiones periodicas imposito, facile explicantur. Eclampsia quoque nil aliud est, quam istae convulsiones, sed fortiores et diuturniores, febreque stipatae, quae plerumque a tubo alimentario aut dentitione exorta infaustum exitum secum trahunt. Saepius quoque ab inflammatione substantiae ipsius nervosae pendere videntur.

§. 21.

Nunc mihi liceat, huic disputatione super morbos quaedam de eorum cura remediorumque efficacitate in corpore infantium breviter adjicere. De quibus eadem experientia docet, quae morborum eorumque genii generalis prospectus concludere sinit. Remedia resolventia et evacuantia, refrigerentia nimiumque plasticitatem minuentia maxime conveniunt, quippe quae nimiam productivitatem et sensibilitatem, qua illi morbi notantur, optime sanent, atque secretiones nimias aut perversas, crebro observandas, facillime cohibeant; itaque sales, Mercurius dulcis, emetica, et vel maxime frigus, quod quamcunque plasticitatem et vegetationem inhibet, itaque plurimis infantum inflammationibus curandis omnino necessarium est.

Remedia tonica, uti ipsi morbi a debilitate atonica exorti rarissime existunt, in universum superflua et noxia sunt. Verumtamen scrofulosis species exsistit, in qua uti in rhachitide roborantia haud omnino repudiari possunt, sed etiam cautissima manu administranda sunt. In universum melius nutrimenta atque remedia externa, quae roborant, per infrictiones aut balnea, quorum utilitatem jam supra exposui, applicata feruntur. Sola debilitatis species saepius in infantibus obveniens est virium exhaustio celerrime aut abiens aut perdens, quae violentas irritationes externas aut nisus nimios organismi in evolvendis et perficiendis systematibus sequitur. Cui autem remedia tonica parum medentur, sed analeptica, recreantia opus sunt, quae velociter et sat efficaciter agunt ad vim vitalem ipsam sustentandam. Quapropter saepius moschus, optimum remedium analepticum, infantes servare potest. Majus adhuc damnum omnia remedia narcotica infanti tenero inferunt. Quae vehementissime in nervos agunt, eosque aut omnes ante narcosin stimulant aut unam quidem regionem excitantes ceteros sopiunt et adultis adeo, si major eorum dosis et diutius adhibetur, vel incommoda vel detrimentum afferunt. Quemadmodum itaque infans integritatem suam vindicare potest, qui nondum nimis aut immodicis irritationibus obtusus atque acutissima nervorum vi praeditus omnia externa tam facile suscipit. Qua ex causa etiam a minima dosi narcoticorum saepe incredibiles effectus et irreparabile damnum nasci videmus.

Praeterea quoque nervina excitantia et graveolentia ob easdem causas vitanda sunt, quin eorum usu quoque nervorum facultas exhaustiatur aut omnine dissona reddatur. Affectiones nervosae ut plurimum sympathicae in infantibus sunt, itaque remediis, primo vitio medentibus, curentur, oportet, atque refrigeranti et evacuant methodo cedere solent. Etiam magis idiopathicae affectiones ab inflammatione aut erethismo nervorum natae tali

cura aut remedio concutiente, e. g. emetico facilius sanantur.

§. 21.

Haec sunt, quae de hac re proferenda habeo, quaeque eruditorum iudicio trado, sperans fore, ut L. B. plus studium et annos, quam operis pretium spectantes indulgentia utantur.

VITAE CURRICULUM.

Ego, HERMANNUS QUINCKE evangelicae confessioni addictus natus sum d. II. m. Oct. MDCCCVIII. Letmathae, vico comitatus Marchiae in guestphalia patre JOH. HERM. QUINCKE, mercatore et matre Christina e stirpe Pilgrim, quos adhuc superstites veneror. Jam inde a tenera infantia litterarum studio in scholis privatis imbutus tandem anno aetatis XIV. gymnasium, quod floret Tremoniae directore Cel. KUITHAHN adgressus sum. Ibi per duos annos et dimidium moratus cum testimonio maturitatis primo instructus, in universitatem aliam Rhenanam me contuli, ubi pridie Calend. Majar. MDCCCXXV. a Rectore magnifico generos. A. G. DE SCHLEGEL in numerum civium academicorum receptus nomen dedi apud Decanum facultatis medicae Cel. HARLESS. Per tria semestria ibi moratus hisce virorum doctissimorum lectionibus interfui: Cel. NEES AB ESENBECK sen. de Botanice, Cel. MUENCHOW de Physice experimentalis, Cel. G. BISCHOFF de Chemia, Cel. NOEGGERATH de Oryctognosia, Cel. NEES AB ESENBECK jun. de plantis medicinalibus et Pharmacologia, Cel. NASSE de Anthrophologia, Cel. NAECKE de Terentii Eunuchos, Cel. WELKER de Sophoclis Antigone, Cel. MUELLER de encyclopaedia medicinae, de physiologia foetus et de Anatomia comparata, Cel. WEBER de Osteologia et Anatomia generali, Cel. MAYER de Anatomia speciali et nervi sympathici, Cel. NASSE de Physiologia, Cel. HARLESS de Diaetetica, de Pathologia et Therapia generali et generosiss., de WALTHER de ophthalmologia. Autumno anni MDCCCXXVI. Beroli-

num petii atque a Rectore magnifico Cel. LICHTENSTEIN et Decano spectabili Illustr. RUDOLPHI civibus academicis adscriptus sum. Hisce virorum Cel. SCHOLIS interfui: Illustr. RUDOLPHI de anatomia pathologica, Illustr. RUST de Chirurgia, atque una cum Cel. KLUGE de Aciurgia, Illustr. HORN de Therapia speciali atque Syphili, Cel. SUNDELIN de materia medica, ejusque de variis medicinae disciplinis repetitoriis interfui. Cel. SCHLEMM de anatomia universali, Generos. DE SIEBOLD de arte obstetricia, Illustr. HUFELAND de parte therapiæ specialis disserentes audiui. Artem cadavera secandi Illustr. RUDOLPHI et Illustr. KNAPE, exercitationes in machina Phantome dicta Generos. DE SIEBOLD, exercitationes practicas operationum Cel. SCHLEMM et Cel. JUENGKEN mihi proposuerunt. Exercitationibus clinicis medicis ducibus Illustr. HUFELAND Cel. OSANN et Cel. BUSSE, Cel. NEUMANN et Illustr. BARTELS interfui, praxi chirurgicæ et ophthalmiatricæ ducibus Illustr. RUST et generos. DE GRAEFE, obstetricicæ duce Generos. DE SIEBOLD operam dedi. Quibus omnibus summopere venerandis praeceptoribus, gratias maximas ago.

Jam examinibus tum philosophico cum medicis rite superatis spero, fore ut dissertatione et thesibus defensis, summi in utraque medicina honores mihi concedantur.

THESES DEFENDENDAE.

I.

Dislocatio cataractae in universum extractioni praefenda est.

II.

Remedia specifica nego.

III.

Non existunt remedia prophylactica.

IV.

Efunctionibus reproductio, e materiis albumen in organismo infantili praevallet.

V.

Sapones in salium numero poni debent.

VI.

Verus scirrhus et verum carcinoma excisione non sanantur.

VII.

In curanda hydrocele incisio omnibus aliis methodis praefenda est.

VIII.

Non omnes oesaniae ex hominum peccatis oriuntur.

